



4114.

XI. 4^o = 2^a.









ORATIO SECULARIS,

*In quâ ex Articulo XVI°. Augustana
Confess. perspicuè demonstratur,*

PRINCIPES EVAN-

gelicos satis superq; causæ habuisse
instituendi publicam solennitatem, vel ob so-
lam de Magistratu Politico in Augustanâ Confes-
sione professam & defensam doctrinam:

IN MAGNO JUBILÆO EVAN-
GELICO


Seculi primi post exhibitam Confessio-
nem Augustanam,

L I P S I Æ

*Ad diem V. Julij in Auditorio Philoso-
phico majoris Principum Collegij,*

In frequentia procerum Academicorum
& Juventutis studiosæ publicè recitata

CHRISTIANO DÖRINGIO
DRESDENSI.



Anno

clō lō cxxx.

Excudebat GREGORIUS Ritsch.

ORATIO SECVLARIS
In p[re]s[ent]ia Av[er]niculo XVI. Augusti
Conf[ess]io[n]is de[m]onstrat[ur]

*Serenissimo Potentissimoq[ue] Principi ac
Domino,*

Dn. JOHANNI GEORGIO,
Sacri Romani Imperii Archimarschallo,
& Principi Electori Septemviro; Duci Saxo-
niæ, Juliæ, Cliviæ & Montium: Landgravio Thurin-
giæ, Marchioni Misniæ, Burggravio Magdeburgensi,
Comiti Marcæ, & Ravensburgi, Domino
Ravensteinæ, &c.

Jubilai Evangelici Auctori Optimo, Maximo, Immortali,

Principi ac Domino suo clementissimo,
Orationem hancce Jubilæam

*Cum appreciatione perpetue faustitatis
subjectissime offerre*

Christianus Döringius.





DECANUS COM- MUNITATIS STUDII

optimarum artium in Academiâ
Lipsiensi.



Cœlo gratioso cum cœlo natu-
rali magnam esse convenientiam, multis, si
opus foret, prolixè ostendi posset. Conve-
niunt enim origine, quæ utrobique, quoad tam
creationem quàm conservationem & guber-
nationem soli Deo immediatè non minus verè
quàm piè ascribitur. Conveniunt amplitu-
dine. Cœlum enim naturale regit omnia, &
Ecclesia Christi, quæ nobis cœlum gratiæ est, Catholica dicitur. Con-
veniunt nature simplicitate, puritate, subtilitate, incorruptibilitate &
aliis qualitatibus excellentioribus, quemadmodum illæ de naturali Cœ-
lo in Physicis, de gratioso autem in sacris, in primis Eph. 5. v. 26. 27. de-
monstrantur. In cœlo Physico datur vicissitudo lucis & tenebrarum;
motus regularissimus & admirandus; spectantur ibi Planetae & Stel-
lae, eorumque configurationes & mutatas a se sive revolutiones, quibus
sublunaria variis modis afficiuntur. In cœlo gratiæ nonne est lux ver-
bi divini, nebulis ignorantie humanæ aut nubibus hæresium interdum
obfuscata, interdum ingratitude hominum prorsus in tenebras com-
mutata? Motus Ecclesiæ est fides & dilectio Dei & proximi, ad quæ
opera fideles mirabiliter impellit primus motor Spiritus sanctus. Vi-
dere hic est Solem justitiæ, Christum; Lunam, Sponsam Christi; cre-
dentes, & ceteros Planetas, Prophetas, Apostolos, & omnes verbi di-
vini fideles Doctores & ministros; Stellas item firmamenti, Electos,
quos distinctâ claritate & hic & olim in æternâ vitâ fulgere sacra pa-
gina docet. Nec desunt ibidem aspectus & configurationes mutue tam



bonè quàm male, eorumq; effectus longè maximi in cordibus hominum,
in choro, foro, & foro: quàm de re pluribus differere non est nostri insti-
tuti. Videantur historia. Unum adhuc addo, quòd maxime hujus esse
loci videtur, de Revolutionibus, quæ in Ecclesiâ non minoris depreben-
duntur efficacie, quàm in cælo. Observant eruditi nature scrutatores
reditum Solis vel cujuslibet alius Planete ad idem cæli punctum nata-
litium, hujusq; observationis usum esse norunt in macrocosmo & micro-
cosmo, dum varios eventus inde probabiliter conjecturant: docetq; ex-
perientia, quòd Planete tempore in primis suorum revolutionum solito
sint operosiores sive in bono sive in malo; prout bona vel mala tum est
cæli & aspectuum dispositio. Eadem prorsus ratione testatur experientia
Sacras & Ecclesiasticas, & decursus annorum seculares, non carere
suis mutationibus sive in bonum sive in malum; quod ex historiis, si per
chartam liceret, probari posset. Non n. saltem hominib. adduntur ve-
luti celestium ad memoriâ recolendum ea, quæ ante seculum facta sunt,
sed & plerumq; eorundem animis stimuli profundiores imprimuntur
mibiq; diutius relinquuntur ad reficiendum & perficiendum ea, quæ an-
te seculum facta aut affecta fuerunt. In presentia, ut scitis, Ecclesia Lu-
therana celebrat festivitatem Jubilæam exhibitæ August. Confess. secu-
larem, quæ celebratio, ut eidem sit fausta & salutaris, calidissimis suspiriis
precamur! Eadem festivitas in causâ est, cur adhuc sumus operosi in re-
colendis illis beneficiis, quorû ante C. annos majorib. nostris magno qui-
dem suo labore divinitus facta est copia & ad nos derivata fuit. Quo fi-
ne Crastino die post preces Templi matutinas nostro permissu in Au-
ditorio Majoris Collegij inferiore sese sistet, Studiosus Adolescens, pietate
ac virtute nō minûs, quàm politione literatarû ornatissimus, Dn. CHRIS-
TIANUS DÖRINGIUS Magnifici, Amplissimi, Eminentissimi &
Nobilis Viri, Dn. DAVIDIS DÖRINGII J. U. D. Hæreditarii in
Böhlen / Selingstedt / Mülbach & Lamperswalde / & c. Seren. Ec-
lect. Sax. à Consiliis Cameræ & c. filius.

Ad quem audiendum, ut omnium ordinum ac dignitatum Viri Re-
verendi, Consultissimi, Experientissimi & Humanissimi, Honoratissi-
miq;, unâ cum Nobilissimâ & ornatissimâ Studiosorum Coronâ, justo
tempore haud gravatim advententes, hoc ipso officio rem Deo gratâ,
se dignam, Oratori ipsiusq; Domino Parenti, nostri ordinis Fautori &
Patrono magno debitâq; observantiâ colendo, honorificam, nobisq; ac-
ceptam præstent, exoptamus, rogamus, monemus. P. P. 4. Julii An-
no exhibitæ Augustanæ Confessionis seculari,

ou



Σὺν τῷ Θεῷ.



*Agnosce Domine Rector, Viri
admodum Reverendi, Amplissimi,
Consultissimi, Experientissimi, Excellentissimi,
Spectabiles, Eximij, Clarissimi, Prestantissimi,
atq; Humanissimi, Vosq; Nobilissimi & Lectis-
simi Musarum Alumni.*

Quod olim Athenienses servis suis intempestivè & seriùs
seriari volentibus objiciebant, *Foràs Cares, non amplius anti-
stera*: Id vereor ne nobis nunc Jubilæum Evangelicum agen-
tibus ab adversariis Pontificiis occinatur. Nam quòd Ecclesia
Lutherana ante hos tredecim annos solenniter celebravit festù
Jubilæum, & in eo immensa utiq; immortaliaq; beneficia in-
nos ab æterno numine per ministerium Megalandri Lutheri
collata, publicâ festivitate recoluit: id temporis benevolentia
& imbellia quâ hostes ibi tum laborabant, in acceptis ferendù
videbatur. At quòd hâc tempestate, ubi versâ rerum facie,
& receptis viribus immane quantum animi malevolorum ex-
arserunt, idem nobis licere speramus, imprudentia ac teme-
ritatis speciem habet. Ea enim desperatissimorum temporum
est acerbitas, ut magnopere abs re esse videatur, in communi
Germania luctu ac squalore dies instituere festos. Nam si in
rem domesticam suos quisq; oculos conjiciamus, sive publicam
rerum faciem contemplemur, sive sacrorum religionem in-
tueamur,

*— — — — — crudelis ubique
Luctus, ubiq; pavor, & plurima mortis imago.*

Plebs innumeris injuriis attrita, graviora putat, quæ pati-
tur, quàm quæ deinceps timere possit. Principum sancta &
angusta majestas cacularum & lixarum libidini exposita, tam
male habet, ut de sepulturâ potiùs, quàm de medicinâ sit co-
gitan-



gitandum. Religio autem ab illo tantæ amplitudinis ac libertatis culmine dejecta & ad incitas redacta, animam agit, & tantum non exhalat: eaq; adeo confessio, ob cujus conservationem & propagationem his diebus concursu facto, lætitiâ & hilaritudine ingenti gratulabundi exiluimus, quam & insolito organorum, tibicinum, lituorum, tympanorum æreorum promiscuo concentu, & mox tintinnabulorum ac bombardarum displosarum fragore testati sumus, omni fermè Europâ cū ejulatu exulat.

Plaut.

Trin. 3. 2.

v. 71.

Verum enim verò, quia *suam homo quisq; rem & officium meminisse debet*, tantò nos hâc in re jucundiùs ac devotiùs geramus, quantò & majora & plura beneficia, ex thesauris divinæ bonitatis & omnipotentia, in hoc fatali tumultu, & rerum omnium admirandis conversionibus, in nos profluxerunt. Nam cum prædæ concesserint barbaro militi multæ optimæ provinciæ & florentissimæ regiones Germaniæ, & à nationibus exteris asperrima quæq; tulerint: Nos contra in nostris oris, quàm gravis sit & iracundus Mars civilis, externis auxiliis armatus, ne digito quidem experti sumus, aut per transfennam adspeximus. Illæ bellum funestum receperunt visceribus penitis: Nos ne unum hostile signum in finibus nostris defixum meminimus. Illis lux doctrinæ illibata occidit: signa gratiosa erepta sunt oculis; non est amplius qui doceat illos Prophetæ vel scribæ: Nobis orbe adhuc pleno Sol Evangelicus lucet, & divinæ puritatis jubar ex augustissimâ Confessione Augustanâ in animos nostros disseminat. Ecquid igitur non exulemus ac gestiamus gaudio? Ecquid non beneficia & magnalia D E I prædicemus? Absit enim Auditores, absit à nobis longissimè typhus hic & arrogantia, ut nostris viribus & consiliis, nostris meritis aut dignitati vendicemus hanc religionis defensionem, hanc pacem, hæc otia. Quantilla pars orbis aut primi confessores fuerunt, aut nos hodiè sumus? Quàm tenuis & curta supellex prudentiæ nostræ ad subtilissimas artes vaferrimorum hostium? Quid igitur? D E I, D E I hoc est solius donum & gratuitum munus, quòd non consumti simus ab Ucalegonte proximo, patriæque communi incendio comprehensi.

DEUS

DEUS est, qui divina & humana omnia facta recta nobis præsti-
tit. Quis ergo non, imitatus Ecclesiã V. Testamenti, Deo jubilet?
Quis nõ cū Israelitis ob excussū jugū servitutis pontificiã Deo
psallat? Quis nõ exultet, & cū Judæis anniversariã religione re-
colat memoriã magni isti diei, quo, ut Ahas vero ex lib. prælecto Esther. 6.
innotuit egregia Mardachai fidelitas, ita Magno illi Carolo V. ^{v. 2.}
& universo Imperio Romano multisq; exteris Principibus &
Regibus consimiliter ex libro prælecto exposita fuit inãocen-
tia & integritas Christianæ religionis. O insignem! O divi-
num librum! ob cujus singulos articulos, à corruptelis papi-
sticis vindicatos dignissimè instituatnr Jubilæum! O cedro di-
gnum institutum tuum *Serenissime Elector*, qui nequicquam ca-
villantib. ac freudentibus Ecclesiæ & depuratæ doctrinæ adver-
sariis hoc nobis festum fecisti. Ac quantis quidem conscien-
tiarum carnificinis omnes ac singuli eo die ac codice liberati
simus, sacrorum antistites in elucidatione articulorum Augu-
stanæ Confessionis ad oculum nobis demonstrant: quàm duro
verò jugo sigillatim sint exempti Principes, ex sexto supra de-
cimū articulo, & ex collatione doctrinæ nostræ cum dogma-
tibus Jesuiticis de Magistratu hodiè spargi solitis, manifestum
fieri potest. Ita enim in Papatu de magistratu docetur & sen-
titur, ut de factione Pontificiã, in primis Jesuiticã, quantumvis
interdum splendidè super majestate principum concionante,
verè perhiberi possit, quod oratorum aquila Marcus Cicero de
Epicuro habet: *Jesuitæ Deos quos oratione relinquunt, re tollunt.*
Imò si per hos homines pessimè feriatos liceret, jam dudum
omnis Principatus penitèns fuisset extinctus, atq; ex hominum
memoriã deletus. Quæ cum non cuivis statim pateant, scitu-
autem sint dignissima, & ab hoc tempore non aliena, constitui
rudi oratione demonstrare, tam impiam & profanam esse Pa-
rasitorum Papalium de Magistratu Politico doctrinam, ut Con-
fessionis Augustanæ ad stipulatores Principes, satis superq; cau-
sæ habuerint instituendi Jubilæum, vel ob hanc de re politicã
ante hos centum annos professam, & nunc per integrum secu-
lum à Deo potenter defensam doctrinam. Æquissimum enim
est hanc rem sæpius repetere, ut pateat omnibus, quãtæ tyran-
nidi & olim subjacuerint, & adhuc subjaccant omnes Princi-
pes;

pes ac Reges Jovem illum Capitolinum venerantes: Contra quantâ felicitate & libertate fruuntur Principes nostri, ex sacrorum literarum monumentis in Confessione Augustanâ repetitis de majestate & dignitate suâ rectius eruditi: quò illi iniquitatem pontificiam vel tandem agnoscere incipiant, hâverò hoc majores DEO gratias habere pergant, pro liberatione jugi & paterfatione purioris ac sincerioris doctrinæ.

Quod dum facio, ac singula Articuli decimi sexti membra uberius persequor, à vobis Auditores omnium ordinum Honoratissimi, summopere contendo, ut mihi de rebus gravissimis juveniliter & longè infra materiæ dignitatem differenti, non aures solùm patulas, sed animos placidos adhibeatis, & vela hæc orationis meæ Zephyro benevolentia vestræ dirigatis, quò his veluti secundis subvecta ventis quem sibi proposuit portum, faciliùs consequatur.

Articuli
Augustanæ
Confessionis
XVI.
MEMBRUM I.
Quod legitimæ ordinationes civiles sint bona opera Dei.

Omnes natura quidem æquales genuit, omnes enim eundem DEUM, cuncta, quæ universus hic mundus ambitu suo continet, sine ullis vectibus, sine ullis ferramentis, sine ullâ materiâ verbo tantùm & nutu suo ex nihilo architectatum, patrem & creatorem agnoscunt, ex eadem terrâ omnes procreati, omnes animâ intelligente præditi, omnes deniq; ad vitæ æternæ nunquam intermoritura gaudia participanda conditi: Quia tamen longè maxima ex vitio accessit diversitas, est ea ita divinis judiciis ordinata, ut quia omnis homo iter vitæ non æquè graditur, alter ab altero regatur, vecors à sapiente, impotens à modesto, temerarius à prudente. Etsi verò DEUS sibi ipse sufficientissimus non minùs ad omnia à se creata moderanda prudens, quàm ad eadem ex nihilo creanda potens nullius indigebat, tamen ea est ejus erga genus hominum summa benignitas, ut suâ dignitate cum mortalibus quoad fieri potest communicatâ, homines in administrationis partes adsumeret. Itaq; ut rerum, sic regnorum omniù un⁹ est autor, Deus ter Opter Max. viæ tamen ad hoc regium fastigium sunt diversæ. Alii enim vi & armis dominatum sibi pepererunt: alii vivâ Dei voce Reges designati: alii populi suffragiis in Principes electi: alii in purpurâ nati: alii deniq; aliis modis, ut à magistrâ veritatis historiâ

historiâ traditum est, principatum obtinnerunt. Verùm enim
 verò, sive aliis quibuscunq; modis regna acquirantur, certum
 est Principes ac Reges non aliunde, quàm à DEO, quicquid ju-
 ris habent, accipere. *Nulla enim est potestas nisi à Deo, & quæ
 sunt potestates eæ à Deo sunt institutæ, quemadmodum ipse per Sa-
 lomone Regem omniũ, quos Sol hic adspexit, sapientissimum,
 testatur dum inquit: Per me Reges regnant & Gubernatores justa
 sciunt. Per me imperant Principes, illustresq; sunt omnes præsides.*
 Et iterum per prophetam Daniele: *qui tempora permutat &
 tempestates, qui idem Reges & abrogat & creat, idem sapientes sapien-
 tiâ, & prudentes donat intelligentiâ. Nam ad utilitatem gentilium,
 terrenum regnum positum est à Deo: cujus enim jussu homines nascun-
 tur, hujus jussu & Reges constituuntur, ut rectè antiquissimus Eccle-
 siæ Pater Irenæus ait: quod ipsum etiam gravissimus autor Ter-
 tullianus habet: Inde est Imperator, unde & homo antequam Im-
 perator: inde potestas illi, unde & Spiritus. Quod Episcopus eti-
 am Cordubensis Hosius ad Imperatorem Constantium testa-
 tur his verbis: Tibi DEUS imperium commisit, nobis quæ sunt Ec-
 clesie concedidit, & qui tuum Imperium malignis oculis carpit, con-
 tradicit ordinationi divinæ. Quin inter Ethnicos, vates Ascræus
 ἐκ Διὸς βασιλῆας, à Jove prognatos Reges appellat, hoc ipso
 divinam originem iis manifestè vendicans. Quemadmo-
 dum autem vespertilio igneum solis jubar ferre nequeunt,
 sed ad omnem lucem cæcutiunt; ita nec Jesuitæ ac cæteri Pon-
 tificis Romani asseclæ hoc veritatis jubar sustinere possunt. Un-
 de multiformes ac à tramite veritatis longè aberrantes de ori-
 gine & primâ regnorum causâ opiniones effingunt. Purpu-
 ratus iste Pater *Bella Arma minasq; spirans, at bellare minus doctus,*
*Robertus Bellarminus, ille hariolatur, potestatem politicam jure
 divino seu naturali immediatè esse tanquam in subjecto in totâ multi-
 tudine, & ab eâ in unum vel plures eodem jure nature transferri. Sed
 fallit certe aut fallitur. Nam jus hoc vitæ & necis nemini à
 naturâ datum est, nemo Dominus membrorum suorum videtur,
 multò minus alterius, Solus DEUS, qui vitam mortalibus lar-
 gitus est, ejusdem adimendæ potestatem habet, aut ii quibus
 id speciali DEI benignitate concessum est. Quod si autem**

Prov. 8. v.
15, 16.

Cap. 2. v.
21.

Lib. 5. ad-
vers. hæ-
res. c. 20.
In Apolo-
get. c. 30.

Theogo-
niâ v. 96.

De Laic.
cap. 6.

L. liber
homo D.
ad leg. A-
quil.

B

hæc



hæc potestas hominibus à naturá tribueretur, uni profectò po-
 tius quàm omnibus daretur: Nam *unius imperium*, iudice Bel-
 larmino, *est optimum & maximè secundum naturam; multitudinis*
verò pessimum. Natura autem in singulis, ut scholæ sapientum
 docent, intendit quod optimum est. Extra societatem Poli-
 ticam certamq; aliquam gubernationis civilis formam nulla
 datur hominibus potestas politica. *Unus autem est omnium sine*
nullâ varietate sensus, omnes antiquas gentes Regibus primùm paruisse:
idq; in terris nomen imperii, ut Salustius habet, primum fuisse. Hinc
 Justino digna visa est sententia isthæc, à quâ pulchrè & cum
 authoritate auspicaretur historias suas: *Principio rerum*, inquit,
gentium, nationumq; imperium penes Reges erat. Proinde necesse
 est Reges non à multitudine aut hominibus, sed à DEO Re-
 gum Rege potestatem accepisse. Equidem divinarum litera-
 rum pandectæ satis perspicuè testantur, potestatem politicam
 non solum in genere consideratam, ut vult Cardinalis, sed eti-
 am in particulari Regibus à DEO immediatè dari: de istâ verò
 multitudinis potestate in Principes translata nullam fieri men-
 tionem, ne *quò* quidem videmus. Quæ ergo istorum homi-
 num est temeritas, ut potestatem ab uno cælo dependentem in-
 promiscuâ quærere velint multitudine? Ita profectò legitimæ
 ordinationes civiles non essent, ut Confessio Augustana docet,
bona opera DEI, sed naturalia opera vulgi & promiscuæ con-
 cionis. Quod an non sit sanctum & venerabilem principatus
 honorem foedissimè temerare, iudicet, quisquis cerebrum non
 gestat in calcaneis.

Ab hoc ergò turpissimo errore dejecti in alium prolabun-
 tur, haut paulo crassiores. Nam omnem dignitatem prin-
 cipatum, omnem vim regiam, omnem maiestatem Impe-
 rii, omnium deniq; rerum, quæ in hâc immensâ rerum univer-
 sitate cernuntur, potestatem & dominium à nutu & omnipo-
 tentiâ sui Pontificis unicè dependere cornicantur: quicquid
 autem potestatis uspiam terrarum habeant Reges & Principes,
 id à Papâ, velut Oceano quodam omnis excellentiæ, in illos
 derivari. Hinc enatum est pestilens Canonistarum dogma,
 quod & Lancelottus habet, scilicet *ipsum Imperatorem Roma-*
num suam potestatem habere tantummodo mediatè à DEO, proximè
 &

De Rom. Pontif. 1. c. 2.
 Arist. 1. de partib. animal. c. 14. Lib. 2. de cælo c. 5. § 34. l. 2. de Ge-
 nerat. & Corrupt. c. 10. § 59. lib. de in-
 cess. Ani- mal. c. 8. in princi-
 pio. Scal. Exerc. 11. sect. 1.
 Cic. 3. de LL.
 De Con- jurat. Ca-
 rilin.
 Lib. 1.
 Bellar. de Laic. c. 6.
 In Locis
 Commu-
 nibus in
 jus Cano-
 nic. tit.
 Papa

& immediatè à Papà, Imperium ab Ecclesià Romanà dependere; be-
 neficio & autoritate Pontificis tum Imperatorem, tum Septem Imperii Franc Bo-
 Electores esse constitutos. Et hanc omnipotentiam isti Væjovi zius de
 jure divino competere blaterant. Verùm hoc inprimis certum temporali
 est, neq; canonistas neq; eorum adstipulatores omnes, quan- Ecc. Mo-
 tumlibet sacras literas & monumenta Patrum terant & torque- narch.
 ant, unquam inde perspicuum aliquod testimonium prolatu-
 ros, quo illa, quam somniant, temporalis Papæ jurisdictio &
 potestas in Principes & populos totius orbis terrarum liquidò
 confirmetur. A DEO Reges & Principes esse, ex scripturá &
 Doctoribus purioris Ecclesiæ modò audivimus: de Papá ibi
 ne verbulum quidem, sed nec ullum vestigium talis potestatis
 temporalis per manus traditæ ab Apostolis & eorum successori-
 bus in septingentesimum, ne dicam millesimum annum à Chri-
 sto passo reperitur. Et est tamen aliàs illa traditionum Pando-
 ra adeò fœta, ut facile quidvis ex eâ soleant depromere. Præ-
 clarè Tertullianus: *Colimus Imperatorem sic, quomodo & nobis li-* ad Scapul.
cet, & ipsi expedit, ut hominem à DEO secundum, & Quicquid præf. Car-
est, à DEO consecutum, solo DEO minorem. Nec minus thag.
 egregiè Patres Concilii Parisiensis: *Quisquis ceteris mortalibus* Lib. 2. c. 5.
temporaliter imperat, non ab hominibus, sed à DEO regnam sibi
sommissum credat. Quod pensi habentes multi augustissimi
 Imperatores & Principes, altiùs omnino quàm à cathedrâ Papa-
 li suam dignitatem descendisse credi voluerunt. Sanè Ludo-
 vicus Bavarus in constitutione de potestate electi Imperatoris,
 memorabili edicto gravissimè declaravit, quod *Imperialis digni-*
tas & potestas sit immediatè à solo Deo. Et anno à partu virginis su-
 pra millesimū trecētesimū trigésimo octavo cōmuni septemvi-
 rorū Imperii decreto, tempore Benedicti XII. Pontificis publi-
 cato, pronunciatum est: *Sacrum Romanum Imperium per se im-*
mediatè DEUM & ensē autorem agnoscere. Cum primis ob-
 servationem diligentem meretur constitutio Ludovici IV. Im-
 peratoris, quæ habetur apud Almericum de Rosate, & VVend-
 landum in lib. de pio Magist. offic. quâ sub penâ criminis lese ma-
 jestatis prohibuit, ne quis statuât, quòd imperialis dignitas sit à Papà, &
 quòd electus in imperatorem, non sit verus Imperator, nec Rex, nisi



prius per Papam sive sedem Apostolicam confirmetur & approbetur & coronetur. Arrigite hinc aures Pamphili Pontificii, qui nostratibus ob appellationem Antichristi Antichristo tributam, nescio quod crimen læsæ majestatis affingere conamini, arrigite quælo aures, & edisserite nobis, annon secundum hanc Ludovici constitutionem & Jesuitæ & Icti Pontificii rei sint criminis læsæ majestatis, quotquot tradunt, *Imperium Romanum esse Feudum vel beneficium Romani Pontificis*, posse per illum iterum transferri ad Græcos vel alios. Nam de Electoribus quod dicitur, eos beneficio Pontificis Innoventii IV. esse constitutos, perspicue falsum est, ejusque rei vanitas & inanitas ita à temporum consuetudine exposita, ut Gryllo stultiorem, aut Excetrâ pertinaciorem esse oporteat, qui manifestæ veritati litem movere velit. Illud in omnes constat, Christianos Imperatores pro eo, quo rectè utebantur jure sæpius judicasse ac deposuisse Pontifices. Constantius in exilium misit Liberium, Justinianus Sylverium, sic Henricus III. Gregorium VI. deposuit & Clementem secundum ordinari iussit. Ita & Otto I. Johannem XII. deposuit, & in ejus locum Leonem VIII. substituit. Prætereo alios, quos magno numero adducere esset perfacillimum. Tantum autem abest, ut Imperatori jus hoc illis temporibus à Papis negatum fuerit, ut potius, quo quisque doctrinâ & sanctitate magis excelluit, ita Imperatorem submissius observans, ejus subditum & servum se esse professus fuerit. Gregorius Magnus multorum instar sit, qui in quâdam ad Mauritium Imperatorem epistolâ; *Ego autem indignus pietatis vestre famulus*, inquit: & paulo post; *ad hoc n. potestas super omnes homines dominorum meorum pietati cælitus data est.* (Dominorum dixit, ut Imperatorem simul & Augustam comprehenderet, cum quâ Mauritius Imperium in dotem accepit.) Et testatur pius hic Pontifex, Imperatori potestatem cælitus datam super ipsum Papam, *super omnes*, inquit, *homines*: super Papam ergo si homo est, & non potius DEUS, ut oppidò esse, certè videri cupit: aut nisi forsan *nec homo est, nec DEUS, sed neuter inter utrumque*; quam mirabilem mixturam de eo prædicat Glossa in præfatione Clementinarum. O divinum antistitem, & sententiam nullis non sequentium seculorum Pontifici-

Vide præter alios
 Heinric.
 Hôpfner.
 in Saxon.
 Evangel.
 sect. 2.
 part. 3. & 4.

Dist. 96.
 c. satis Au.
 gustin.
 Steuchus
 de donat.
 Constan-
 tini p. 141.

fici-



ficibus inculcandam! Sed pro Numen! quò benigna illa & humilis confessio à nostris seculis exulavit? cui paulatim succrevit hæc minax & fastuosa adversus Reges & Imperatores oratio. Nos in supremo justitiæ throno collocati, supremam in omnes Reges & Principes unversæ terræ, cunctosq; populos, gentes & nationes non humanâ, sed divinâ institutione, nobis traditam potestatem obtinentes, declaramus, jubemus, precipimus. Et illa Hadriani ad Archiepiscopum Trevirensis, Moguntinum & Coloniensem: Romanum Imperium à Græcis translatum est ad Alemannos, ut Rex Teutonicorum non ante quam ab Apostolo coronaretur, Imperator vocaretur. Ante consecrationem Rex, post Imperator. Unde igitur habet imperium nisi à nobis? Ex electione Principum suorum habet nomen Regis, ex consecratione nostrâ habet nomen Imperatoris & Augusti & Cesaris. Ergo per nos imperat. Romæ nostra sedes est, Imperator quod habet totum habet à nobis. Sicut Zacharias transtulit imperium à Græcis ad Teutonicos: ita nos possumus ab Alemannis transferre ad Græcos. Ecce in potestate nostrâ est, ut demus illud cui volumus: propterea constituti à DEO super gentes & regna ut destruamus, evellamus, edificemus & plantemus. Cum ergo nostri Principes è divinis tabulis & confessione Augustanâ certius edoceantur, principatum non esse bonum opus promiscuæ multitudinis, nec flaminis Romani, verum ipsius Dei, jure optimo faciunt, quòd publicâ lætitiâ declarant amorem erga dulcissimam hanc doctrinam, quam olim in Papatu antecessores non habuerunt, nec hodie satis cognitam habent Principes Catholici, præsi jugo omnipotentis & arrogantis Pontificum.

Sed progrediamur ulterius, & Christianis administrationem reipublicæ omninò licitam esse cum augustissimo nostro Symbolo defendamus. Quandoquidem enim clavus iste rei publicæ à DEO immortalis hominibus conceditur, quidni Christianus illæfâ conscientiam eum teneat? Quidni pium sit, præesse pluribus, leges & jussa ponere, maria, terras, pacem, bella moderari? Et quidni impii & ingrati sint homines Papistici in alia omnia transeuntes? Cum furor Anabaptistarum ante hos centum annos, & quod excurrit, in Germaniâ baccharetur, incusabantur nostri apud Imperatorem & principes externos,

Scilicet
Papa pastor est,
qui non tantum
pascere,
sed & mactare debet,
ut profanissimè & sanguinariè contendit Baronius
Cardinal.
in impudenti
Parænesi
ad S. P. Q. Venetum,
Membram II.
Quod Christianis liceat gerere Magistratus.

quasi

quasi illuderent nomini magistratum, quasi dignitatibus illo-
 rum detraxerent, & à functionib. civilib. Christianum longè lon-
 geq; defenderent: Verùm hanc grandem maculam Confesso-
 res egregiè eluerunt. At eam Papiculis Nos hodie jure optimo
 adspargimus. Non enim pauci sunt, qui magistratum à Chri-
 stiano integrâ conscientiâ & salvâ pietate geri non posse, sibi
 perperam persuadent. Etenim ut non perstringam Concilium
 Eliberitanum in Eliberide, Hispaniæ urbe, anno incarnati ver-
 bi trecentesimo quinto sub Marcello I. celebratum, in quo Ca-
 none LVI *magistratus eo anno quo agit Duumviratum, prohibetur
 ut ab Ecclesiâ sese cohibeat*; ut quoq; sicco pede præteream Con-
 cilium Constantinopolitanum VIII. in quo Canone XIV *prohi-
 bentur Episcopi accedere mensas Principum secularium* (quod injuri-
 osissimum est in sanctum ordinē:) quanti illud esse putas, quòd
 à plerisq; perniciofa hæc sententia tenetur, *esse Magistratum
 ejusmodi statum, in quo difficulter salvari possis*. Unde etiam viris
 Principibus, quantum possunt, hoc veneni instillant, descen-
 dendum esse ab isto secularis potentiae fastigio, abjicienda esse
 sceptrâ & fasces, eundem autem in monasterium religionis er-
 go, deserendum esse mundum ac studendum cultui divino:
 quasi verò qui magistratum gerit, non DEO sed mundo seruiat:
 quibus præstigiis sæpe etiam efficitur, ut summi Imperiorum
 præfecti abdicatis sceptris monasteria ingrediantur, & purpu-
 ram cucullo mutant. In quem finem etiam efficta fuit illa in-
 fidiosa, & minimè optima distinctio, quâ in Papatu Ecclesia-
 sticæ personæ Sacrificuli, Monachi, Moniales sibi solis nomen
spiritualium arrogant, reliquos Christianos omnes & ipsos Ma-
 gistratus *mundanos* appellando, cum tamen omnes illi, qui
 Spiritu Christi reguntur & aguntur sint spirituales, si & rem-
 ipsam & *φύσιν* scripturæ spectemus. Licet autem Lojolitici
 emissarii aliàs non inviti aulas Principum perrepant, & omni-
 um primi esse velint, tamen in Collegiis suis tam contemtim
 de magistratu sentiunt, ut ne quidem libenter eum velint ac-
 cedere. Testatur siquidem haut contemnendus quidam au-
 tor, & fidei minimè sublestæ, qui aliquam-multos annos cum
 Jesuitis vixit, quòd Lojolitæ illi, si quid coram Magistratu Po-
 litico

Vide Ga-
lat. 6. v. 1.

El. Hasen.
müller in
hist. Jesui-
tar. cap. 4.
pag. 102.

litico negotii habeant, rarò ipsi eum accedant, & huic se submittant, sed hominè vilioris notæ eò ablegent, qui moris agendi cū secularib. non penitus ignarus negocia perficiat. Nefas enim arbitrantur, ut sancti homines, præsertim titulo Jesu illustres, secularem senatum accedant, vel huic se submittant. Alia omnia nostrates Doctores profitentur: Nam Religiosissimum statum & sanctissimum magistratum credunt, probantq; divinarum scripturarum oraculis multis, & ponderibus gravissimarum rationum, quas recensere longum foret. Hinc sunt illa animosa & prorsus heroica, minimeq; jaëtabunda Theandri Lutheri verba: *Si ego Doctor Martinus alias nihil boni docuissem aut fecissem, quàm quòd magistratum Politicum defendi & ornavi, tamen hoc unico gratiam & favorem meruissem, quoniam omnes etiam infensissimi mei hostes haut ignorant, doctrinam hanc in Papatu non solum sub scamno delituisse, sed etiam à scabiosorum & pediculosorum Monachorum, sacrificulorum & mendicantium pedibus pressam & conculcatam fuisse. Nam hanc laudem & honorem per DEI gratiam reporto, ut ut Diabolo & omnibus ejus squamis gratum aut ingratum sit, quòd post Apostolorum tempora nullus Doctor aut scriptor, nullus Theologus aut Ictus, conscientias status politici insignius aut luculentius confirmaverit, instituerit, & consolatus sit, quàm ego, adjutus singulari DEI gratiâ feci, hoc certum scio. Nam neq; S. Augustinus neq; Ambrosius, qui tamen hâc in re primas tenent, mecum conferri possunt: in hoc per DEI gratiam gloriator, Diabolo & omnibus meis adversariis & hostibus frustra frementibus, & scio hanc gloriam coram DEO & mundo mihi verè competere, ut ut furant hostes & insaniant. Quò etiam pertinet, quòd de Friderico Sapiente, Electore Saxonie memoratur, qui cum legisset scriptum Lutheri, de Magistratu, quòd exstat in secundo tomo operum Lutheri, præ lætitiâ exultans sublatis in cœlum manib; DEO gratias egit, quòd ex sacris literis jam cognitum & exploratum teneret, se esse constitutum in ejusmodi statu ac ordine, qui DEUM autorè habeat, & in quo bonâ conscientia versari, DEOq; placere possit. Unde satis evidenter apparet, nihil à verò ablutisse gloriosissimos confessores, qui ante hos centum annos coram Proceribus Imperii in quinto abusuum articulo gravissimè ita sunt conquesti:*

Man-

in Apolo-
giâ contra
Georgiũ
Ducem
Sax. Tom.
6. oper.
Germ. in
princip.



Mandata DEI juxta vocationem nullam laudem habebant; quod Pater familias educabat sobolem, quod mater pariebat, quod Princeps regerebat rempublicam; hæc putabantur esse opera mundana & imperfecta, & longè deteriora illis splendidis observationibus. Et hic error valdè cruciavit pias conscientias, quæ dolebāt se teneri imperfecto vite genere, in conjugio, in Magistratibus, aut aliis functionibus civilibus, mirabantur Monachos & similes, & falsò putabant illorum observationes DEO gratiores esse. Sic ergo vel hinc iterum elucescit, satis causæ esse religiosis Principibus jubilandi de assertâ & defensâ illâ doctrinâ, ex quâ in conscientiis suis convincuntur & confirmantur, licere sibi omninò fasces & secures imperii usurpare.

Membrum

III.
Exercere
judicia.

Quia verò à Magistratu præcipuè administrari debet justitia, idcirco rectè ait confessio nostra, *licere etiam excercere judicia*, in quo judiciorum excercitio Justitia potissimè consistit. Debet ergò Magistratus, non solum prudens esse *σοφός*, sed etiam constans *σοφοφύλαξ*; hoc est, tueatur leges tum divinas tum positivas, quas ipse probabili ratione in salutem Rei-pub. divinis addidit: Lex enim absq; executione nullum obtinet pondus, nec ullum civitati adfert fructum. Actum est cum illâ Repub. in quâ *mores perduxere leges in potestatem suam, ac eæ misere ad parietem fixæ clavis ferreis*, ut decima Musa in Trinummo scite loquitur. Hoc ipsum autem quam gratum & ratum habeant homines Cimmericis Pontificiorum tenebris involuti, ex hæctenus dictis facile colligi potest. Quod enim sex Anabaptistarum superiori seculo contendebat, & nupera Photini progenies contra divinam judicium institutionem, contra tot divinita de officio judicis rectè administrando tradita præcepta, immò contra tot clarissima effata, in quibus judicium ipsius DEI esse dicitur, furiosè adferebat, nefas esse Christiano excercere judicia, nec posse veræ religionis cultores salvâ & illæsâ pietate experiri judicio: Id ipsum non pauci Pontificiorum non minori impietate haud obscure significarunt. Nam perpendite mecū auditores prudētiss. ac doctissimi, quid honoris relinquatur judiciis ex horrendi illius carminis lege, quâ non unus fortasse scriptor in umbrâ scholæ, non duo tresve subtiles disputatores,

Deut. 16.

v. 18.

Exod. 23.

6. Deut. 1.

16. c. 19.

18. c. 25.

v. 1.

2. Paralip.

19, 6.

Psal. 82, 1.

tores, non decem fortè gregarii cuculligeri, sed fermè trecenti patres autoritate & dignitate amplissimi unanimi calculo promulgârunt in Concilio Romæ, Anno 324. sub Sylvestro primo celebrato. Sic enim habet canon XVI. *Nemo Clericus vel Diaconus aut Presbyter propter causam suam quamlibet intret in curiam, quoniam omnis curia* (attendite Auditores optimi) *quoniam omnis curia à CRUORE dicitur, & immolatio simulachrorum est. Quoniam si quis Clericus in curiam introiret, anathema suscipiat, nunquam rediens ad matrem Ecclesiam.* O vocem impiam, brutam, & ab ipsis Furiis inspiratam! Quid vobis Auditores animi est? Annon si per hos Paterculos liceret, omnia iudicia everterentur, omnia subruerentur dicasteria, omnes dejicerentur curiæ, imò v. ipso Olympo Astræa excluderetur, ut soli Monachi & curias occuparent, & rebus divinis atque humanis ipsi præessent. Aliud nostri suis Principibus persuadent, aliud ipsi sequuntur, non immeritò fortunam istius diei religiosâ recordatione consecrantes, quo data sibi copia fuit, etiam super hoc capite suam mentem publice contestandi.

Severinus
Binius
Tom. 1.
Concil.

Cæterum cum opus nullum in repub. & curiâ sine directrice normâ legum rectè procedat, ut nec Architectis sine libellâ & lineâ: necesse est ad salutem civium civitatumque incolumitatem, vitamque omnium quietam & beatam sanciri leges. Hinc Imperatores admodum solliciti fuerunt, de ferendis justis, æquis & bonis legibus, & quidem ex eâ potestate, quam habent divinitus hanc ad rem concessam. Nam quia Deus ipsis potestatem *ἡγεμονικῆ* seu gubernatoriam concessit, etiâ dedit potestatem *πολιτικῆ*, quæ species sive pars est *ἡγεμονικῆ*, sine quâ gubernatoria suum finem obtinere nequit. Unde mox conficitur, quòd quia potestatem habent condendi leges, etiam potestatem habeant, juxta illas judicandi. Etsi verò hoc ipsum extra omnem dubitationis ac tergiversationis aleam positum est, & in Glossâ decreti disertè stabilitur, ubi satis clarè dicitur, quòd amplius octingentis à nativitate Christi annis Imperatores tulerint leges, non modò de rebus forensibus, sed de rebus Ecclesiasticis, quodq; eis Ecclesia obediverit. Quòs spectant tituli Codicis de

Membrum
IV.
Judicare
res ex Imperatoris
& aliis
presentibus
legibus.

Dist. 84.

C

summâ



*summâ Trinitate & fide Catholicâ, de Ecclesiis, de Episcopis & Clericis, de Episcopali audientiâ, de Hereticis & Manichæis, Constitutiones Leonis, Novelle Justiniani, & id genus alia: tamen eò progressa est Pontificum impudentia, ut spretis atq; insuper habitis Legibus Imperatoris, in locum extrusi Juris Civilis Jus Canonicum substituerint. Et quem latet, obsecro, insignis temeritas Papæ, quam declaravit in eo, quòd legatum Imperatoris, & Episcopum Augustanum de concessâ & approbatâ pace religionis increpuit quàm gravissimè, quòd Ferdinandus Rex absq; præscitu sedis Romanæ in negotio Religionis tale quid decernere ausus fuerit, annexâ comminatione, *nec Casarem, nec Regem hanc contumeliam impunè laturos*; quin & postulare ausus fuit, ut quæcunq; hac in parte acta & concessa abolerentur & annihilarentur, quo etiâ sine à juramêto & pacto eos absolvere velit. Facit huc decantatissima perfidiæ nota, quam Papana turba sibi nullo non tempore inussit, & Principibus suis inurere hodierno die manibus pedibusq; allaborat. Illustri exemplo est Sigismundus Imperator. Hic etsi Joanni Hussio lege Imperatoriâ salvum conductum dederat, ac ab ipso Pontifice per comites Nobiles hoc responsi acceperat, *etiamsi Joannes Hussus fratrem sibi germanum occidisset, tamen se nullo modo commissurum, quantû fieri posset, ut aliqua ei fieret iniuria, quamdiu Constantia esset*; tamen paulo post improbitate Cardinalium & Episcoporum eò persuasus est, ut fidei suæ turpiter renunciaret, quod non possit ei, qui hæreticus sit declaratus, juxta Pontificii juris sanctiones, aut fide publicâ, aut ullâ re aliâ defensionem præstare. Et in pueros nota est illa perfidiæ tuba, quam cum Andréâ Fabricio, Becano, Tannero, Possevino, aliisque Lojolithis inflat Joannes Paulus V Vindekus, contendens Pacificationem Passaviensem, ad quam tot Imperatores corporali, ut loquuntur, juramento, erectis digitis præstito, sese adstrinxerunt, esse irritam, propterea quod à Pontifice, nunquam sit confirmata, ac per Concilium Tridentinum iterum sublata. Et quot sunt in hanc usq; horam, qui non verentur publicis scriptis, & voce planâ evomere, Imperatorem nullum, Regem nullum, nullumq; Principem, posse quippiam in Legibus suis statuere, quod videatur*

Prognostico de
 fut. Eccl.
 stat. p. 326.

deatur facere adversus sententiam Papæ? Ex quo facile est colligere, per Pontificios minimè integrum esse tum Imperatoribus, tum principibus aliis, judicare res ex Imperatoriis & aliis præsentibus Legibus.

Verùm ne diutius hanc contra perduelles pugnam pugnemus, ad supplicia transimus, quæ jure constitui posse ac debere Augustana Confessio docet. Supplicia autem jure constituta sunt, quando capitalia supplicia delictis corporalibus gravioribus publicam humanæ societatis tranquillitatem destruentibus decernuntur & infliguntur. Ubi cum primis observari debet hoc Horatii monitum:

Membrum
V.
Supplicia
jure con-
stitueret.

— — — — — adfit

*Regula, peccatis que penas irroget æquas,
Nec scuticâ dignum horribili insectere flagello.*

Videatur
Thomas
2.2. quæst.
11. art. 3.
Bellar. l.
3. de Laic.
c. 21. &
compen-
diosius
Becanus
l. 5. Com-
pend. ma-
nual. c. 15.
tit. 7. c. 15.

Cur ergo hæresin simplicem, ad quam nulla seditio adversus magistratum accedit, supplicio capitali mactant? Nam hoc volunt & faciunt, ubi possunt, plerique omnes Pontificii, nullam differentiam agnoscentes inter ipsos hæreticos turbatores, & inter seductos, sicuti expressè scribitur in lib. V. Decretal. *Credentes hæreticorum erroribus, hæreticos similiter judicamus.* Adeo Pontificiis

Tros Rutulusve fuit, nullo discrimine habetur.

Atq; hæc capitalis hæreticorum pœna ab istis tortoribus non tantum nudè approbatur, sed commendatur insuper ut *justa severitas, ut justa quedam misericordia, & desiderium conversionis.* Et est quidam Majerhofferus qui palam testatur, *de hæreticorum capitali pœnâ inter Catholicos tantopere convenire, ut pro articulo fidei habeatur.* Et quid verbis opus est, ubi adsunt rerum testimonia? Ipsa praxis luculenter monstrat, quantâ injuriâ isti Papistici Carnifices statuunt supplicia. Nolo ire per historias Gallicas, nec recitare, quomodo alibi Hyenarum instar in re fossa & exhumata cadavera piè defunctorum ab integris sæpe numero seculis, fuerit defævum: Ducis Albani facinora omni cothurno truculentiora sunt, qui expressè confessus est *quod paucis illis annis, quibus Belgio præfuit, octodecim millia hominũ*

Costerus
apolog.
adv. Go-
mar & in
præfat. l.
de morib.
hæret. p.
17.
Specul.
prædicat.
pag. 54.



utriusq; sexus clanculum & palam furialibus carnificinis sustulisset, nec
tamen isto rigore Patribus Inquisitionis satis fecisset. Cardinalis
Farnesius ex Italiâ ad bellum Smalcaldicum in Germaniam
proficiscens, minatus est, se tantam daturum stragem per Ale-
Sleid. l. 17. mannam, ut in Lutheranor. cruore vel natare possit ipsius equus.
pag. 534. Estne hoc supplicia jure constituere? Sed omnico-
gitatione crudelius est, quod truculenta ista Furia Tarpeja cum suæ cu-
linæ Gnathonibus ac Thrasonibus ferales ficas in ipsorum
Imperatorum, Regum ac Principum cervices stringit, do-
cendo, si Pontifex Romanus Regem ac Principem sive Papisticum
sive Evangelicum, ob imputatam heresim, vel fœdera cum hæreticis
imta, aut denegationem obœdientie in persequendis illis, quos ipse atro
carbone notat, ob regnum seu ducatum ex sententiâ istius Vojovis in-
justè retentum, (quales sunt nostri Electores ac Principes, imò
Catholici multi Dynastæ) vel quamcunque ob causam aliam
fulmine excommunicationis tetigerit; Aut si subditi in conventu, vel
si facultas conventus non detur, saltem viri eruditi & graves, hoc est,
Jesuitæ, Principem Tyrannum judicarint, tunc eum aut veneno, sella,
ephippιο, sive vestibus illito, sive vi aperta à quovis privato impune
Vide A. posse ac debere interfici. Horresco referens: Sed hæc est do-
phori-
Imos Do-
ctrina Je-
strinæ Je-
suitar. c. 3. sultar. c. 3. doctrina multorum Pontificum ac Jesuitarum, quam in publicâ
luce asserere nulli erubescunt. Imò sunt multorum libri adeo
impii, ut cordatiores Pontificii ipsimet eos abrogandos cen-
suerint. *Johannis Mariana liber de Regis institutione*, in quo hæc
doctrina de parricidiis Regum ac Principum manifestè appro-
batur ac defenditur, censurâ facultatis Theologicæ Parisiensis,
approbatâ à Parlamento regio, destinatus est, ut in arcâ ante
summum ac primarium templum Lutetiæ in ignem conjicere-
tur, & combureretur, in æternam rei memoriam, quòd doctri-
na hæc in eo contenta sit hæretica, impia, perniciosa, & erro-
nea. Paulo post *Francisci Svaressi* itidem Jesuitæ liber cui titu-
lus: *Defensio fidei Catholica & Apostolica, adversus Anglicana sectæ
errores*, licet approbatus à plurimis Episcopis & Theologis,
quorum & nomina & censura ipsæ in principio leguntur, tam
absurda tamen & infanda dogmata continere visus est Parisi-
ensibus, ut illum ipsum publicâ carnificis manu in curiâ ante
gra-

gradus majores palatii concremari jusserint: die XXVII Junii
Anno cIo Io CXIV. Non autem Mariana solus, non Svare-
fius, sed & alii hoc homicidii spiritu acti, supplicia tam bono
jure constituere docent! Nam & liber impuri istius Casparis
Scoppiii Anno cIo Io CXI. in lucem emissus, cui titulum fecit ^{Continu-}
Ecclesiastici, qui multas blasphemias & execrandas propositiones ^{ator}
ad turbendam quietem totius Christiani orbis, & Regum ac ^{Thnani}
Principum supremorum vitam, regna & principatus in disci- ^{Tom. 4. l.}
men adducenda tendentes continebat, decreto Senatus Parisi- ^{5. p. 314.}
ensis à Carnifice publicè in areâ Palatii exustus est. Sic contra ^{38. q. 01. 3}
librum Becani cujus titulus erat, *Controversia Anglicana de Po-*
rentiâ Regis & Papæ, variæ deliberationes habitæ, tandem verò ^{Idem An-}
hæc cenfura Româ allata est, quòd S. Pater Paulus V. Pontifex ^{no 1612.}
Max. de temerariis, scandalosis, & respectivè seditiosis dogmatibus in
eo libro contentis, certior factus, & indignè ferens, hujusmodi libros, à
quibus magnum scandalum oriri possit, ab hominibus Catholicis edi, li-
brum illum prohiberi jusserit, donec corrigatur. Ita tractatus de po-
testate summi Pontificis in temporalibus adversus Barclajum autore
Roberto Bellarmino Cardinali, impressus Romæ, Anno cIo Io CX. pro-
hibitus fuit pronuntiatione Parlamenti die XVI. Novembris e-
jusdem anni cIo Io CX. ne scilicet quispiam sub pœnâ criminis læsæ
majestatis recipiat, apud se retineat, alterive communicet, typis ex-
cludat, aut venum exponat librum istum, qui falsum & planè detestan-
dum continet pronuntiatum, quod tendit ad everfionem supremæ ma-
jestatis à DEO constitutæ, seditiosos reddit subditos adversus suos Prin-
cipes eorumq; imperio subducit, & ut contra vitam ac dignitatem ipso-
rum nefaria tentare, ac tranquillitatem publicam turbare audeant, ar-
mat atq; inducit. Pari modo ante quadriennium Anno cIo Io C
XXVI. die I. & IV. Aprilis, in aulâ Collegii Sorbonæ impius
liber Sanctarelli, à Decano, omnibus Doctoribus, & totâ adeò
facultate Theologicâ, ut verbo DEI contrarius, & ad factiones,
rebelliones & seditiones, & Principum parricidia classicum canens,
damnatus est. Utinam verò in solis chartis hæerent, nec in
animos influerent istorum dogmatum venena! Nam quid in
Gallus factum, nec non in Angliâ, alibiq; plus vice simplice at-
tentatum sit,

— — *Animus meminisse horret luctūq; refugit.*

Nolo usurpare infelicia & perpetuis Orci tenebris digna Regicidarum nomina, qui manus suas sanguine regio nunquā polluissent, nisi ab egregiis istis æquissimorum suppliciorum architectis fuissent emissi aut eruditi. At monachos, Jesuitas, & reliquos de hoc furfure homunciones, quamvis proditores, parricidas aut sacrilegos, Princeps supplicio non afficiat. *Præstat enim scelera impunita relinqui, quàm ordinis sacri immunitates refigi,* ut Johannes Mariana impiè scribit. Multus sum in hisce recensendis, & vereor ne vestrâ, Auditores, abutar patientiâ. Sed abripuit me harum rerum indignitas, & nedum summa persecutus sum fastigia. Nam absurdissimorum eorum absurdorum

De Rege
& Regis
instit. l. 1.
c. 10. p. 88.

— Adeò sunt multa loquacem ut
Delassare queant Fabium —

Quæ restant paucula, breviter perstringam, etiam atque etiam petens, ne pigeat, me adhuc per semiquadrantulum, audire.

Membrum
VI.
Jure bella-
re, militare

De bello & militiâ gerendâ hæc est Leonis Papæ ex Epistolâ ad Rusticum sententia: *Contrarium est omninò Ecclesiasticis regulis, post pœnitentiæ actionem redire ad militiam secularem: Cum Apostolus dicat: Nemo militans DEO implicet se negotiis secularibus. Unde non est liber à laqueis Diaboli, qui se militiæ mundanæ voluerit implicare.* Ut autem hæc sententia planè falsa est & erronea: Ita hodierni Præsules Latini haud minore errore non solum hominib. politicis bella concedunt, (quod rectum est,) sed & Episcopi ipsi, imò sæpe ipse summus & sacerrimus Pontifex arma tractant, unde Palingenius de illis canit:

Pontifices nunc bella juvant, sunt cetera nuge.

Hinc memorant Principes & Status Evangelici in causis recusati Concilii Tridentini, quòd Julius secundus tot cruenta bella gesserit, ut *intra septennium ducenties millia hominum* in illis fuerint interemta. Idem cum exercitum adversus hostem aliquando educeret, eundemq; in Ponte Tiberino præcederet, claves

Pag. 227.

claves in Tiberim projecit, addito non quidem illo pessimo Virgilio versu, sed hâc haut paulo meliore, & vicario Christi perquam dignâ sententiâ & minabundâ voce:

Cum Petri nihil efficiant ad Prælia claves,

Auxilio Pauli forsitan ensis erit!

Et quos Imperatores, quos Reges, quos Principes hodiè bellare comperimus, ubi non Pontifex magnam partem alar exercercitus, aut eum non ducat militetvé Episcopus seu Cardinalis: quod tamen quomodo cum illo interdicto Christi: *Refer gladium in locum suum*, congruat, ego, qui meus est stupor, non intelligo. Nempè peccatur enormiter contra prohibitionem ipsorum Pontificum ex concilio Agathensi: *Non licet Episcopo manibus suis aliquem cedere, hoc enim alienum debet esse à sacerdote.* Id quod strictius adhuc urget Zacharias Papa ad Episcopos Gallicanos venationibus deditos, & in militiam proficisci solitos; scribens: *Sacerdoti qui Pastor est, arma non ferre, nedum bello quenquam occidere licet.* Et contra prohibitionem Pauli: *Arma militie nostræ non carnalia sunt. An ejus temporis in mentem non venit, cum D. Petrus Paulusq, & eorum sequaces Ecclesie Architecti non armorum splendendum fiduciâ ad prælia grassabantur, sed innocentia freti, cætera inermes, ad castra Christi tuenda, in tumultu flagrantissima caritatis classico ciebantur, ut Budæus alicubi loquitur.* Annon ergo hoc etiam pacto contra doctrinam Confessionis nostræ vivitur, cum alienum jus armorum à Pontificiis iniquè appetitur? Annon jus bellandi & militandi violatur, cum militare, cum bellare volunt, quibus bellum, quibus militia nec divino nec humano jure competit? Hinc Richardus Angliæ Rex cum Philippum Bellovacensem Episcopum, qui contra exercitum ejus militem duxerat, acie captum detineret, eumque tanquam filium suum Pontifex dimitti juberet, Romanam misit arma, quæ Episcopus in acie gestârat, addens hæc verba: *Vide Beatissime Pater, num hæc sit tunica Filii tui; unde Papa ita erubuit, ut gratuitam ejus liberationem non amplius postularet.* Verùm enim verò quid hic aliud dicemus, nisi quod Hostiensis, non incelebris Canonista gravissimè & verissimè scribit: *Dicant Leges, statuant canones, clament homines*

quan-

Flectere cum nequeo Superos, Acheronta movebo.

Matth. 26. v. 52.

C. non licet dist. 86

2. Cor. 10. v. 4. 1. Tim. 3, 3

Lib. 5. de affe.

Helinsh. in Chron. Richard. 1

quantum volunt, tamen nostri Clerici volunt esse militares. Et sanè usq; à temporibus Adriani Pape, qui Carolum Magnum vocavit in Italiam, Episcopi & Cardinales nunquam ab armis destiterunt.

Membrum VII.
Lege con- strahere.
Quid porrò de legitimis contractibus dicam? Hos sanè ut augustissimum istud Ecclesiarum nostrarum symbolum scripturæ filium & rationes honestissimas pensi habens utroq; , ut dicitur, pollice approbat, ita improbat & multis modis oppugnat lues Papistica. Multi sunt qui mercaturam atq; omne contractuum genus vehementer execrantur, variisq; sutelis nec non pictis ac fictis logis vulgo persuadere conantur, esse mercaturam & universam negotiandi artem istiusmodi vitæ genus, quod, si sapias, illicò sperni, abjici, deserti debeat, & mutari in ordinem sacrum, ac cum primis in illum monasticum, ubi nec jurandum, nec pejerandum, non fallendum, non decipiendū, non declinandum à vero, non defraudandum, nec lucrandum, nisi in bono & perfectione; quam nescio quo artificio statim, adspiret & tibi velut affricet sacer cucullus, & latibulum istud, plenum horroris ac religionis. Interim ipsi Pontifices, ipsi præsules ac Episcopi Romani mercaturam exercent omnium injustissimam iniquissimamq; , & à legitimis contractibus longè longèq; diversissimam. Ecquis enim tam bliteus, tam bardus, & tam rerum omnium ignarus est, qui nesciat illam sacrilegam & execrabilem curiæ Romanæ Simoniam, matre Furiâ, Patre Papâ prognatam, quâ pretiosa & nullo ære, nullo argento, auro nullo, sed unico Salvatoris sanguine parta animarum nostrarum munera nummo & venduntur & emuntur? O sceleratam nudinationem, & solo Papâ dignam! Ecquis enim, alius præter Papam, cælum vendere audeat? Sed nec illud silentii velis operiendum est, quod functiones & officia tum sacra, tum politica institor iste non modò alibi rectè venire affirmat, sed & ipse pretio vendit emitq; . Episcopi & Archiepiscopi omnes hodiè Episcopatus suos maximâ vi pecuniæ redimere coguntur. Illud amiculum Episcopale, merx nec operosa nec pretiosa, quanti hodie constat Episcopis! De Moguntinensis Archiepiscopatus pallio refert Sleidanus, quod triginta aureorum millibus constet, antequam domum deferatur, Et testantur con-

Lib. 13.

conquerunturque Principes Germani, non sine Germanâ gravitate & indignatione, in centû gravaminibus nationis Germanicæ, Anno clō Io CXXIII. in comitiis Norimbergensibus Legato Hadriani Pontificis oblatis, *in vitâ unig hominis septies viginti quinque millia florenorum à solo Archiepiscopatu Moguntino pro confirmatione Archiepiscopi Romam venisse.* Proinde non sine causâ Jacobus Archiepiscopus Moguntinus horam fatalem sibi instare sentiens dixisse perhibetur, *se de morte suâ non dolere, at quòd subditi pauperes iterum pro pallio grandem pecuniæ summam pendere cogerentur, id verò se intimis sensibus acerbè ferre.* Ut verò illa palliorum redemptio Romanæ curiæ tantò esset quæstuosior, prohibitum est à Latiis Vulturibus, ne quis eo, quod prædecessor reliquit, pallio utatur, sed ut quisq; sibi Romæ illud compareret. Unde adeò factum est, ut qui vel permutatione, vel aliâ quâvis ratione alterius Ecclesiæ fit Patriarcha seu Metropolitanus, etsi ante sibi paravit, illud necesse tamen habeat denuo emere: ut meritò quis dixerit, pallia illa nihil aliud esse, quàm Simonicæ Papalis & Romanæ avaritiæ pallia. Et jam non jubilemus Auditores? Non solenni festivitate recolamus memoriam ejus diei, quo recitata est Confessio nostra, damnans Simoniam & avaritiam illam, utpote non lege contrahentem, sed sanguinem & succum miseris Principibus & subditis hirudinis instar exfugentem? Sane paucis dici nequit, quibus quantisq; oneribus & exactiōibus liberati simus, quotquot in his terris sub Episcopatibus vel vivimus, vel prædia sita possidemus. Nam istæ iniquissimæ pensiones Episcopis impositæ simul subditos tangunt, & communes tam privatorum quàm publicorum fundorum sunt calamitates, omnes omnium loculos mirum quantum adfligentes.

Salto jam trajiciamus in alium temeritatis campum. Tra-

Membrum

VIII.

Tenere

proprium.

ducebantur gloriosissimi Confessores, quasi promiscua inter ipsos rerum esset communio & confusio: quare ut hoc gravè pipulum à se suisq; averterent, contestati sunt sonorâ voce, licitum esse unicuiq; tenere proprium. Et placuit hoc censoribus: etsi perquàm contrariè huic æquissimo sancito ab ipsis vivitur.

D

Nam



Hafen-
müllerus
hist. Jesu-
c. 6. p. 148.

Nam proprium tenere si fas est, quid alunt ignavum istum ordinem Monachorum mendicantium? Cur non suo eos uti jubent? Quem in finem votum paupertatis faciendum est ipsis Jesuitis? Ita enim habet regula eorum: *Paupertatem seu solidum Christianae religionis murum diligere oportet. Omnes ament pauperiō,* nullā re utentes tanquam propriā. Hinc etiam in collegiis suis non exiguam Anabaptisticae κατὰ κράτος speciem habent, dum sibi τὰ πάντα κοινὰ esse volunt. Et ne quis aliquā re tanquā suā propriā afficiatur, crebras omnium rerum permutationes instituunt. Quare si quis vestem habet paulo elegantioreni & corpori aptam, ne affectum in eam retineat, eam superior ipsi adimit, & alteri tradit. Sic cubilia, muséa, & omnia subinde mutant, ut hac ratione rerum κατὰ κράτος ab Ignatio Lojola sancita conservetur & sanctè custodiatur. Licet autem ista religiosa paupertas verè ipsis sit *solidus religionis murus*, qui illis altos muros, pulchras domos, ampla collegia & magnos redditus censusq; peperit, ita ut etiam Crœsum si non superare, æquare tamen possint, uti norunt qui eorum opes & gazas perviderunt. Unde etiam Nobilis quidam facetè & haut abs re dixit: si mendicare vellem, cum Jesuitis mendicarem: Illi enim non nummulum unum & alterum, sed mille coronatos plerumque unā vice à principibus asportant: Possemus tamen Vulturis istis concedere siue κατὰ κράτος siue opulentias suas, modò ne alios depecularentur, sed suo quemq; frui permetterent. Lippis & tonsoribus notum est, quibus artibus Jesuitæ inhiantes locupletum fortunis, juvenes nobiles & in re lautā constitutos, divites orbos, & coelibes, nec non viduas opulentiores ad se alluciant, vafreq; de mulceant, ut hæreditates opimas involent, ut de spoliis aliorum ditescant, ut ex propinquorum miseriis & deprædationibus ipsi messem auream metant, parum curantes, quid immerentibus agnatis interim fiat, aut unde Principes ablatis tot à societate istā feudis atque fundis census redditusque percepturi sint. Dicam quid majus de Sacrilegis istis Harpyiis. Quid illud? Integras ditiones & Principatus appetunt, etiam regna devoraturæ, si copia ejus rei ipsis detur. Cum ad

ad Jesuitas Landsbergenses scriberetur, Illustrissimam Princi-
pem ac Dominam Dn. URSULAM DOROTHE-
AM &c. Illustrissimi Principis ac Domini, Dn. LUDOVICI Ducis VVirttembergici conjugem pientissimam defunctam
esse, & spem esse, ipsum quoque principem ob nimium dolo-
rem & luctum, quem ex conjugis desideratissimæ morte con-
ceperat, mox eam subsequendum, respondebant illi: Si hoc
fieret, omnia nostra consilia & omnes vires conjungere velle-
mus, ut ditione istâ Archidux Ferdinandus Oenipontanus po-
tiretur. Quia autem id sine gladio & sanguine fieri non pos-
set, svasores essemus, ut omnes Clerici & Devoti, omnes mona-
chi & Canonici, & quicumque per vires possent, concurrerent,
& uno impetu VVirttembergam invaderent, resistentes contru-
cidarent, & sic illorum Tempia & scholas nostri inhabitarent.
En tibi exemplar rapacitatis & deprædationis Jesuiticæ! Nec
mirum, cum ipse sacerrimus Pater Papa Romanus hanc sive
voraginem sive potius Scyllam, Charybdim, gurgitem, & in-
explebilem aviditatem eos doceat, quando improbâ spe devo-
rat, & sibi arrogat, universa totius Occidentis regna, Gallicum,
Hispanicum, Arragonicum, Portugallicum, Hungaricum,
Bohemicum, Anglicum, Scoticum, Danicum, Svecicum,
Ruscianicum, Croaticum, Dalmaticum, & quæ alia nominari
possunt. Magnum est quod dico, ac prope supra fidem; sed enim
de singulis hoc probari tam facile posset, quam facile vulpes
pirum comest. Verum quia & temporis & splendidissimi audi-
torii ratio habenda est, sufficiat unum arrogati hujus domini
documentum. Exstat impudens Bonifacii VIII: ad Philip-
pum pulchrum Galliarum Regem Epistola, quæ sic sonat:
Bonifacius Servus Servorum DEI, Philippo Francorum Regi:
DEUM time, & mandata ejus observa. Scire te volumus, quod
in spiritualibus & temporalibus nobis subes. Beneficiorum atque
prebendarum ad Te collatio nulla spectat, & si aliquarum vacantium
austodiam habeas, usum fructum eorum successoribus reserva,
& si quas contulisti, collationem haberi irritam decernimus.
Aliud credentes fatuos reputamus. Cui sic respondit Rex
Galliæ: *Philippus Dei gratiâ Francorum Rex, Bonifacio se gerenti pro*

Hafen-
müller.
h. Jesuit.
c. 6. p. 122.

Lege Au-
gust. Steu-
chum in
Bruto Ful-
mine p.
75. seqq.

Apud Ni-
col. Gilli-
um in An-
nalib.

*summo Pontifice salutem modicam sive nullam. Sciat tua maxima fa-
 tuitas, in temporalibus nos alicui non subesse. Aliquarum Ecclesia-
 rum & praebendarum vacantium collationem ad nos jure regio perti-
 nere, & percipere fructus earum contra omnes possessores utiliter nos
 tueri. Secus autem credentes fatuos reputamus ac dementes. Nec
 solum hæc regna, sed omnino dominationem in omnia Christia-
 norum bona sibi arrogat Pontifex: Id quod, ne longius abea-
 mus, vel inde patet, quod cum hæc ipsa affectatio domini ob-
 ceretur Pontificiis in Aphorismis Jesuitarum, mirè se torfit Se-
 bastianus Heufius in excusando Papâ. Et quamvis cum non-
 nullis Jesuitis illam Papæ potestatem non *directam*, sed *indire-*
ctam statuatur; Scimus tamen hanc limitationem ipsam, quam
maxima Bellarmini excogitavit, adeo displicuisse aulæ Ponti-
 ficæ, ut parum abfuerit, quin opera Bellarmini prohiberentur,
 quod se ex patribus Jesuitis audiisse Barclajus ait. Quid? Quod
 post Bellarminum novi Pontificæ potestatis patroni Bellarmi-
 num rejecerunt, & omnino directam potestatem Pontifici as-
 feruerunt? Ut nihil dicam, aulam Pontificiam in his Politicis
 potius Canonistarum jura, quam Jesuitarum pulpita venerari,
 eodemq; rem recidere, sive directè, sive indirectè Princeps a-
 liquis suo regno sive bonis spoliatur. Quapropter ipse Heu-
 fius sententiam Canonistarum, ne incurrat in Papæ odium,
 non audeat improbare, ita limitando Principum potestatem, ut
 à Pontificis arbitrio dependeat, quam diu velit ipsos vel Reges
 scribere, vel tyrannos proscribere. Hocine verò est suum
 cuiq; relinquere? Siccine proprium tenere quis posset?
 Descendo ad extremum articuli nostri de Magistratu
 membrum, quo rectè asseritur, debere Christianos jusjuran-
 dum postulantibus Magistratibus dare. At refractarii Jesuitæ
 eam sibi libertatem usurpant, ut ne illis quidem Principibus
 fidelitatis juramentum præstare velint, in quorum vivunt ditio-
 ne, & fruuntur defensione, Imo non veretur scribere Emanuel
 Sa, homo perfictæ frontis, *rebellionem Clerici in Regem non esse
 crimen læsæ majestatis*, hæc adjectâ vanissimâ & dudum explosâ
 ratione, *quia Clericum non sit subditus Regi.**

Responsi-
 one ad
 Aphor. p.
 23.

De pote-
 state Papæ
 c. 13. p. 101.
 Legatur
 Alexan-
 der Car-
 rerijs,
 J. C. tus Pa-
 tavinus in
 duob; li-
 bris de
 potestate
 Pontifi-
 cis, anno
 1599. con-
 tra Bellar-
 editis.

Membrum
 IX.
 Jus juran-
 dum postu-
 lantibus
 magistra-
 tibus dare.

Sed



Sed finis esto impietatum & orationis. Quanquam enim erant multò plura & graviora, ac inprimis huic tempori facientia, quorum ne primas quidem lineolas adumbrare aut summa capita valui attingere, confido tamen, ex his, quæ saltu- tim & pro captu ingenioli dicta sunt, sole meridiano clariùs elucescere, verissimum esse, quod initio demonstrandum sum- simus, satis causæ esse Principibus Evangelicis instituendi hoc tempore festum Jubilæum, cùm alia multa ob momenta, tum inprimis ob conservatam illam in articulo decimo sexto de- magistratus dignitate doctrinam sanam, cujus beneficio longè securiùs ac tranquilliùs pro salute terrarum suarum excubare possunt, quàm vel olim majores sui, vel hodiè Principes Ca- tholici impuri istius Flaminis Latini pedibus subjecti. DEUM autem Opt. Max. devoto pectore veneror, ut cùm hujus articuli, tum cæterorum Christianæ religionis capitum sinceritatem, quâ nobis, quâ posteris nostris, si qui futuri sunt, perpetuam esse jubeat, ac immanem istam tyrannidem & violentiam Væjo- vis Romani à nostris & principum nostrorum cervicibus pro- cul proculq; defendere clementissimè dignetur, ut quæ ipsi Hi- laria & Jubila his diebus cecinimus, eadem à nepotibus nostris seculis vertentibus eidem piis pectoribus linguisq; gratantibus certatim de- cantentur.

D I X I

D 3

Ne





*Ne vacua relinquerentur pagella, placuit sub-
jicere integrum articulum decimum sextum.*

*Augustanae Confessionis, cum censurâ Imperatoris &
Catholicorum de eodem.*

ARTICULUS XVI.

DE rebus civilibus docent, quòd legitimæ ordinationes ci-
viles, sint bona opera DEI, quòd Christianis liceat gerere
Magistratus, exercere judicia, judicare res ex Imperatoriis & a-
liis præsentibus legibus, supplicia jure constituere, jure bellare,
militare, lege contrahere, tenere proprium, jus jurandum,
postulantibus Magistratibus dare, ducere uxorem, nubere.

DAMNANT Anabaptistas, qui interdiciunt hæc civi-
liâ officia Christianis.

Damnant & illos, qui Evangelicam perfectionem non
collocant in timore DEI & fide, sed in deserendis civilibus of-
ficiis; quia Evangelium tradit justitiam æternam cordis. In-
terim non dissipat Politiam aut Oeconomiam, sed maxime
postulat conservare tanquam ordinationes DEI, & in talibus
ordinationibus exercere charitatem. Itaq; necessario debent
Christiani obœdire Magistratibus suis & legibus: nisi cum ju-
bent peccare. Tum enim magis debent obœdire Deo quàm
hominibus, Act. 5.

CAROLI CÆSARIS ET RO- MANENSIVM RESPONSIO.

Decimus sextus articulus de magistratibus civilibus libenter acce-
ptatur, tanquam consentaneus non solum juri civili, verum etiam
juri Canonico, Evangelio, sacris literis, & universæ normæ fidei. Quia
Apostolus precipit, ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdi-
sa sit. Non enim est potestas nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo ordinate
sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem
resistunt ipsi, sibi damnationem acquirunt, Roman. 13. Laudanturq;
prin-

Principes, quòd damnant Anabaptistas, omnes ordinationes civiles dissipantes, & Christianis prohibentes Magistratus atq; alia civilia officia, sine quibus nulla respublica feliciter administratur.

LECTOR OPTIME.

COnfer jam cù hoc sano iudicio I. Querelas Johannis Cochlaei, & dic bonâ fide, an cum sententiâ Cæsaris aliorumq; Principum Pontificiorum consistere possit, quòd Cochlaeus negat, statum Politicum, quem *Laicalem* ipse vocat, rectè præferri statui Monachorum, usus argumento practico: *Quandoquidem, inquit, multi reges & principes, aliq; magne & opulentia & nobilitatis viri, mundi hujus actus & negotia deserentes ad monasteria, vite contemplativæ gratiâ, piâ devotione transierunt.* Item quòd Monachos suos commendat à rerum communione: quia nimirum amicorum omnia sint communia.

II. Ipsam praxin Jesuitarum in eludendis Principibus: cujus exemplum notes es Hasenmüllero in histor. Jesuitar. cap. 7. pag. 307: *Jesuita principem Gulielmum, Bavarie ducem, ceteroquin probum, ita dementârunt, ut ipse temporibus peregrinationis & Jejuniorum, devotionis ergo, ut ajunt, pedes peregrè incedere soleat: Jesuitis interim vel curribus vel equis insidentibus, & ad latus ADE-*
QUITANTIBUS. *Videns ego ipse, in jejunio quadragesimali ejus Celsitudinem coram sepulchro Christi (quod Jesuitarum operâ extructum erat) seipsum ad sanguinem ferme usq; flagellantem: Jesuitas verò intra parietes SVAVITER RIDENTES, & de hujusmodi factis gloriantes. Miserebat me tum ex animo ipsius boni Principis, tam nequiter à sceleratis hisce nebulonibus delusi. Georgius Baderus, Jesuitarum per Bavianam Provincialis, Landsbergæ gloriatus est, se non dubitare, quin prænominatus Dux sit yho 107 suum*
Filium Societati immolaturus. O impietatem! O nequiti-

am Jesuitarum! Increpet Te DOMI-
NUS, Satana!

A M E N.

Handwritten text at the top of the page, appearing to be a title or introductory line, possibly related to the 'LECTOR OPTIME' header.

LECTOR OPTIME

Main body of handwritten text, consisting of several lines of dense script. The text is oriented vertically on the page.

Handwritten text at the bottom of the main text block, possibly a signature or a concluding phrase.

A M E N



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and appears to be in a historical or legal style.





yc 6 198

ULB Halle

3

004 787 668



N.C.

7LDA





Y
6



ORATIO SECVLA

In qua ex Articulo XVI. Confess. perspicue demonstr

PRINCIPES E

gelicos satis superq; cau
instituendi publicam solennitate
lam de Magistratu Politico in Augu
sione professam & defensam doct

IN MAGNO JUBILÆO
G E L I C O

Seculi primi post exhibitam C
nem Augustanam,

L I P S I Æ

*Ad diem V. Julij in Auditorio
pbico majoris Principum Col*

In frequentia procerum Aca
& Juventutis studiosæ publicæ

CHRISTIANO DÖR
D R E S D E N S I .



Anno

clō lō cxxx

Excudebat GREGORIUS



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20
Centimetres

Kodak LICENSED PRODUCT
KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

